

Notum igitur esse volumus tam posteris quam modernis, quod nos domnae Margarethae uxori Friderici de Bor quinque marcas argenti in villa Wysnen^{a)}, quas idem Fridericus a nobis iure feodali dinoscitur possidere, petente antefato Friderico et consentiente, titulo donationis propter nuptias, quod vulgariter lipgedinge nuncupatur, liberaliter contulimus omni sollempnitate iuris et facti quae in huiusmodi concessionibus requiritur observata, ita quod praefata domna Margaretha praelibatas quinque marcas argenti iure praehabito teneat et possideat, si dictus Fridericus maritus eius praemortuus fuerit, vitae suae temporibus pacifice et quiete, volentes ut Heinricus de Nuzzyn pater ipsius domnae Margarethae tutelam eiusdem domnae Margarethae in quinque marcis gerat et habeat memoratis. Ut autem huius nostrae concessionis rationabilis dispositio debitam sortiatur roboris firmitatem, et ne cuiusquam possit in posterum sinistrae interpretationis calumpnia immutari, saepedictae domnae Margarethae praesentem paginam in testimonium dari fecimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum in Cella anno domini millesimo ducentesimo octogesimo secundo, quinto decimo Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo, praesentibus Heinrico priore Cellensi, Rudegero monacho dicti monasterii, magistro Cunrado nostro notario, Cunrado nostro capellano, Heinrico de Nuzzyn, Friderico de Maltitz, Martino de Stuchowe, et aliis quam plurimis tam clericis quam laycis fide dignis.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv mit dem beschädigten Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

a) Weitschenhain, Par. Staucha (1095 Wisinana, vgl. no. 39).

No. 253. 1282. 15. Sept.

B. Ludolf zu Naumburg beurkundet, dass bedrängt von der Schuldenlast, die er von seinem Vorfahr übernommen, 12¹/₂ Hufen Landes mit Zustimmung seines Capitels an den Budissiner Probst M. Dietrich zu freiem Eigenthum der Domkirche zu Meissen verkauft worden seien.

Nos Lutolfus dei gratia Nuenburgensis ecclesiae episcopus ad notitiam tam praesentium quam futurorum volumus pervenire, quod cum ecclesia nostra gravi oppressa esset onere debitorum, quam per venerabilem in Christo patrem et dominum Meinherum praedecessorem nostrum bonae memoriae in mille et centum marcis et amplius obligatam recepimus¹⁾, redditusque eiusdem ecclesiae pertinentes ad mensam episcopalem alienatos per ipsum ita invenimus tenues et exiles, quod de ipsis redditibus dictum onus debitorum non solum attenuare vel diminuere non potuimus, immo crescebat de die in diem vehementius et in tantum, quod iam eidem ecclesiae nostrae, nisi ei celeri et maturo succurreretur consilio, dampna irrecuperabilia inevitabiliter imminebant. Nam alicubi apud Judaeos absorbebamur usurarum voragine, alicubi bona ecclesiae nostrae videlicet castrum Tyfenowe^{a)}, Ztrele et Dolen civitates nec non opidum Nerchowe^{b)} cum omnibus eorum attinentiis obligata erant titulo pignoris, alicubi vero fideiussores nostri a creditoribus nostris moniti secundum formam promissionis eorum iacere cogeantur

1) *reperimus* im Transsumpt vom 4. Nov. 1350.

a) Tiefenau. Par. Spansberg. b) Die Städte Strehla, Dahlen, Nerchau.